Disquisitio Inauguralis Medica,

DE PHRENITIDE,

Quam,

DIVINA ANNUENTE GRATIA,

Authoritate & Jussu,

Gratiosi Collegii Medici,

in

ALMA EBERHARDINA,

Præside

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Philos. & Medicinæ Doctore ac Prof. P. Ord.

Facult. Med. h. t. Decano, Consiliario & Archiatr. Würtemb.

Dn. Patrono, Præceptore & Promotore suo æviternùm Colendissimo,

pro

Consequendis summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis DOCTORALIBUS

Solenni Eruditorum Examini

subjicit

IN AULA NOVA

Ad diem Octobr.

GEORG-NICOLAUS Weinlin/Rotenburgo-ad Tubarim Francus.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI.

Anno M DC LXXXIV.

CAPUT I.

Definitionem *Nominalem* & *Realem* exhibet.



Aud inconcinnè *Epictetus Tom. 1. dissert. Arrian. cap. 17.* in hæc erupit verba: Ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *initium doctrinæ nominum dilucidatio est.* Hinc etiam mihi jam de *Phrenitide* dissertaturo, melioris doctrinæ gratia, circa explicationem philologicam pauculis commorari lubet.

ETYMOLOGIAM si spectemus, *Phrenitidem* vocem esse ortu græcam, dictam ἀπὸ τῆς φρενὸς, à *mente*, quæ scilicet in hoc affectu laboret, patet. Nonnulli numerum amant pluralem, ἀπὸ τῶν φρενῶν, quo vocabulo, ut *Gal.* 1. *prorrhet.* t. 4. docet, νοῦς seu διάνοια propriè significatur, aut præcordia, juxta *Quorundam*, qui *mentis* sedem ibi finxerunt, sententiam.

SYNONYMIAM quod attinet, appellatur φρενῖτις, *Phrenenitis*, φρενιτίασις, φρένησις, hinc *Scammonius:*

Et vitio Cerebri *Phrenesis* furiosa movetur,
Amissasque refert frendens amentia vires.

Syriasis etiam, docente *Theodoro Corbejo in pathol.* l. 2. cap. 9. maximè si pueris accidit. *Celso* l. 2. c. 1. *insania febricitantium* dicitur; *Plinio* sapientiæ morbus; *Arabes* Karabitum vocant, teste *Petro Foresto* lib. 10. obs. 1. Est autem Karabitus juxta *Arculanum* nomen Arabicum, sumptum ab accidenti, scilicet alienatione & propriè in lingua Arabica alienationem sonat, sed transumptum est ad significandum ejusmodi *Apostema*, ad quod sequitur alienatio. Persæ *Birsen* appellârunt; *Avicenna* verò *Sirsen* cali-

 dum,

dum, i. e. Apoſtema capitis calidum; ſed qui *Birſen* dicunt, malè loquuntur, nam *Bir* eſt pectus, *Sir* verò eſt caput, & *Sen* apoſtema. Gallis dicitur la *Freneſie*, Italis *Freneſia*, *Ghiribizzo*, Germanis die Unſinnigkeit/ Taubſucht/ Wahnſinnigkeit/ das Hirn-Wüten/ das raſende Hirn-Fieber.

HOMONYMIAM paucis ſubjungam: Nos non ſenſu confuſo *Phrenitidem* hîc conſideramus, non enim illum intelligimus affectum, qui aliàs *Paraphrenitis* Autoribus audit, ubi diaphragmatis aut aliûs quoque viſceris, ſecundum *Quosdam*, adeſt inflammatio, verùm per accidens, non per ſe, læſis his partibus, delirium illud excitatur, nec vera adeſt Phrenitis, ubi continuum deeſt delirium, quod in Paraphrenitide locum habet. Hinc definitur, quod ſit

Deſipientia continua cum febre acuta, à ſpirituum animalium, vel ob cerebri inflammationem, vel etiam ſine illâ, accenſione aut furioſo per cerebrum motu dependens.

Generis loco poſui *deſipientiam continuam;* quòd autem continua ſit, & Autoritate & Experientia probatur. Teſtem jamjam ſeſe exhibuit *Galenus* 5. *loc. affect.* c. 4. imò ipſe *Hippocr.* interprete *Galeno* 1. *prorrhet.* comm. t. 1. φρενετίζειν ἐν πυρετῷ τῷ διηνεκεῖ δὲ τῆς παραφροσύνης, ὅτ᾽ ἅμα πυρετῷ γένηται τὴν φρενῖτιν γνωριοῦμεν: *Deſipere cum febre & continuitate delirii Phrenitidem appellamus.* Inter *Recentiores* quis, quæſo, eſt, qui τὸ continuum Affectui huic, Eſſentialem intelligo *Phrenitidem*, non interpolatam, denegat? *Experientiam* ſi conſulimus, adeamus modò *Phreneticos*, eorumque dicta & facta conſideremus, continuô eosdem deliriô eſſe oppreſſos, luculentiſſimè conſtabit. Contingere autem illud cum *Febre acutâ* dixi; hæc enim neceſſariò hîc requiritur. Adeſt autem modò ut cauſa, modò ut effectus, vel *primaria*, vel *ſecundaria* & *ſymptomatica;* dùm vel ſpiritus accendendo, in furorem agendo, vel inflammationem in cerebro excitando, quæ Cauſæ mox explicabuntur, agit, vel inflammationem à Cauſa externa evidenti vel *interna* quacunque *exortam* conſequitur.

CA-

CAPUT II.

Subjectum examinat.

SUbjectum *Phrenitidis* non est Pylorus, quod *Toparchæ Merodamo* placuit, sed omnium ferè saniorum Medicorum consensu & suffragio Cerebrum cum *Spiritibus* suis *animalibus*, quibus maximè nobilitatur; cùm autem non unius ejusdemque, sed diversæ planè conditionis sit, ita ut variæ in eodem constituantur partes, quarum una vel altera læsionem in casibus ubi *inflammatio* accusabitur, patiatur, sub judice lis est. Sunt, inter quos *Montanus* & *Jachinus*, qui solas meninges, exclusa cerebri substantia, accusant, cùm Cerebrum inflammari nequeat; sed an argumenta illorum à mollitie & tumescentia Cerebri negata, petita valeant, vid. *Sennert. Instit. Med.* l. 2. *part.* 3. *sect.* 2. c. 4. & *Petrum Salium Diversum* de *Affect. Partic.* c. 1. Dantur, in quorum numero ipse *Willisius*, qui meninges non semper pro Subjecto Phrenitidis agnoscunt: *In Dissectionibus Anatomicis sæpius vidi*, inquit, *meningas, imò nonnunquam & Cerebri exteriorem ambitum tumore phlegmonodei obsessas, atqui laborantes minimè Phrenesin, verùm econtra torpore affecti, à Caro aliisque morbis soporosis interibant. Et quidem rem ita habere ratio planè dictitat, nam meninges inflammatæ, eoque magis tumidæ, cerebrum valdè compriment, & circa ambitum ejus Spirituum ductus & vias occludent. Vallesius* Cerebrum, seclusis meningibus, pro Subjecto habet, qui, interprete *Casparo Hoffmanno* in *Instit. Med.* l. 3. c. 52. ita dicit: *Quemadmodum de pleuritide contendunt Quidam, non esse pleuræ sed pulmonis inflammationem, ita non desunt, qui Phrenitida negent esse meningum, sed substantiæ ipsius Cerebri inflammationem;* ad hujus rei confirmationem affert experientiam Com. in 5. Epid. 49. In vulneribus capitis, inquiens, *vulnerata & ita inflammata dura matre, ut per partes eximeretur, non supervenisse tamen delirium*, & hinc concludit, Phrenitida non fieri, nisi penitissimæ Cerebri partes inflammentur. Nos, quod nostram attinet sententiam, credimus & statuimus, *Cerebrum* & quoad suam sub-

ſubſtantiam, & quoad ejusdem tunicas aut membranas, meninges communiter dictas inflammari, adeoque Phrenitidis Subjectum eſſe poſſe, vix enim credibile, quod una harum pars ob inſignem viciniṭatem vaſorumque communionem, illæſa altera, hîc afficiatur; non autem ſtatuendum, quaſi in eodem ſtatu, in eadem qualitate utræque partes læſionem ſentiant, modò enim hæc, modò illa majorem in modum accuſanda venit: Nec tanta ſit illa *inflammatio*, ut omnis ſanguini per Cerebrum tranſitus denegetur, aut Cerebrum nimis indè comprimatur, diverſa enim tunc obvenirent ſymptomata.

CAPUT III.

Cauſam Immediatam proponit.

CUm absque cauſarum cognitione morbi naturam inveſtigare, vel ipſius remotionem moliri Medicus nequeat, tractatio earundem jam inſtituenda. Proximam & Immediatam *Phrenitidis* cauſam in definitione poſuimus *Spirituum* modò *animalium* accenſionem, furioſum modò eorundem per cerebrum motum, modò cum cerebri ejusve membranarum inflammatione, modò ſine illa. Spirituum animalium accenſionem quodammodo adeſſe, vix *Medicorum* quisquam negabit. Conſentit hanc in cauſam *Celeberr. Williſius*, qui meningum inflammationem ceu cauſam Phrenitidis proximam vix tangens, Spirituum tantùm Animalium accenſioni penitus ferè eam attribuit, probatque ſuam ſententiam quodammodo ab accenſione Spirituum Chymicorum, quæ omnia videri poſſunt & prolixè legi *in part. 2. patholog. c. 10.* Favet *Williſii* Sententiæ *Proſper Martianus*, præcipuus ille Hippocratis Sectator & Interpres optimus in *comment. lib. de Morb. iij.* verſ. 99. pag. 151. Accenſioni addidi Spirituum animalium furioſum per cerebrum motum, quem probant præter alia Phreneticorum actiones, dicta & facta. Nimiam hanc Spirituum Cerebri agitationem, confuſionem & perturbationem accuſat etiam *Felix Platerus* cum *Williſio*. Adjeci tandem cerebri

ejusque

ejusque membranarum inflammationem. Sunt quidem hîc nonnulli, qui Cerebrum in dubium vocant; Sic *Gerardus* Cerebrum vel os inflammari negat, eò quod hoc ob ſiccitatem, atque duritiem, illud propter humiditatem & mollitiem tendi nequeat; *Haly* verò & *Avicennas* 2. 1. d. 1. ſ. 2. c. 5. & 1. 3. tr. 3. c. 1. cum *Valeſco de Taranta* in *Philon. Pharmac.* lib. 1. cap. 13. opinionem tuentur contrariam, quibus & ego adſtipulor, quod ſcilicet Cerebrum attinet, (de *oſſium* enim inflammatione, an poſſibilis ſit, nec ne, hîc non ſum ſollicitus) de quâ re & videri merentur Autores in cap. præcedenti citati; quale autem Cerebrum ad hoc malum magis minusve ſit diſpoſitum, legi poteſt *Willis* cit. loc. De meningibus autem, quod hæ nonnunquam vel ſolæ vel cerebro junctæ ſymptoma hoc cudere valeant, nullum mihi videtur dubium; inflammatis enim partibus hiſce *Spiritus animales* ſalvos perſiſtere & incontaminatos, non in furorem agi, accendi, nec *occulto quocunque modo* lædi, rarò continget. Non tamen neceſſe eſt, ut cauſæ hæ jam ordine adductæ ſemper & ſimul, una vel altera haud excluſa, agant, modò enim cerebrum, membranæ modò, modò etiam ipſi *Spiritus animales* magis magisque ſunt diſpoſiti; imò quin aliquando in *febribus* quibusdam ex ſola Spirituum accenſione & dicto furore, *absque cerebri inflammatione*, Phrenitis oboriatur, non dubitarem, cùm febris in principio vel progreſſu ſuo perverſum Spiritibus *motum* conciliare, vel *copulam heterogeneam* ſuppeditare, ſuoque *fervore exagitare* facilè poſſit. Spiritus autem animales taliter conſtitutos *Glandulam Pinealem* nimiùm concutere & perversè determinare, ita ut Mens ibi reſidens, ob præcipitantiam & continuitatem motuum, errorem non agnoſcere, nec ordinatè cuncta dirigere poſſit, cùm hic *Glandulæ Pinealis* uſus evictus nondum fuerit, minus probabile videtur. Interim quacunque id fiat ratione, difficili planè explicatu, veriſimile tamen eſt, conceptas vel ante morbum terroris aut iræ *Species* vel in morbo de novo fabricatas inde nunc depravari, nunc exaltari quaſi, ut horribiles magis percipiantur, nonnunquàm ægri ad deſperationem ferè agantur, ſibi ipſis manum inferant, imò tanto ſæpè robore polleant, ob Spiritus compeſci neſcios, incendio correptos, ut ab aliquot viris teneri vix poſſint Phrenetici.

CAPUT

CAPUT IV.

Causas Mediatas propinquiores considerat.

BIlis plerumque hîc accusatur, de qua *Trallian.* lib. 1. cap. 13. *Hippocr.* lib. 1. *de morb. circ. fin. Galen.* 3. *de caus. puls.* c. 14. & 1. *prorrhet.* t. 1. Ab *Hollerio*, *Foresto*, *Montano* pro diverso Phrenitidis gradu modò *flava, citrina, pallida*, modò *adusta* censetur. *Avenzoar*, Phrenitidem provenire posse à melancholia fecali, dicit. *Paracelsus* lib. 1. *de orig. morb. ex primis tribus substantiis* c. 4. ut & *Paramiro* lib. 3. *de orig. morborum ex Tartaro* Phrenitidis causam modò vapori mercuriali, modò Tartaro tribuit, cui etiam assentit *Scheünemannus* in *Med. reform.* c. 2. Et si dicendum, quod veritati consonum est, *Bilis* omninò rectè hîc accusatur, scilicet cùm *Sanguis* sulphureis, lixiviosis, oleosis, secundum Quosdam nitrosis particulis nimiùm scatet, quæ plus debito in febre accensæ sanguinem magis inflammare, incendium suum Cerebro insinuare, *Spiritibus* communicare, vel inflammationem producere, aptæ sunt; & hoc quàm maximè, ubi sanguis ab *obstructione* vasculorum, *compressione*, *constrictione* etiam, *spasmodicaque fibrarum* ab heterogeneis particulis *contractione* stagnare cogitur, ea vel impetu, orgasmo aperit, vel acrimonia sua erodit. Accedunt etiam particulæ asperæ & penetrativæ, secundum *Willisium*, quæ videlicet poros subeunt & aperiunt, adeoque priores facilius introducunt; hoc corpuscula salina, fixa sulphureis conjuncta quodammodo efficiunt, hinc biliosi & melancholici febricitantes in furores magis sunt proclives. Sanguis ergò peccat nonnunquàm *quantitate nimia*, licet rarius, *fervore nimio* & *motu impetuosiori*, sicuti & *Spiritus* peccant. Adeoque non malè nonnunquàm cum Vett. *Melancholia*, *Bilisque adusta* accusari poterit, pro diverso sanguinis statu, vel prædictis sulphureis, lixiviosis, vel acidis, salinis fixis, terrestribus particulis, variè mixtis, determinatis, dominium obtinentibus aut in parte separatis,

paratis; ut & ☿iale *Paracelsi principium*, utique enim particulæ illæ, quæ Spiritus exagitant, ipsisve junguntur, volatiles sint oportet atque tenues, magnæ tamen activitatis à jugo mitiorum, ligantium liberatæ. Non solùm autem *Acidum* in inflammatione à *Quibusdam* accusatum peccare videtur, quid si enim & *alcalica* quædam sanguinem coagularent, quod Quidam asseverant, & effervescentiam instituere valerent, aut *tertium* quoddam (insufficientia enim duorum jam demonstrata est) virtute hac gauderet? Humores *Phrenitidem* causantes secundum *Galenum* interdum non carent *malignitate* quadam, quod 3. *Epidem.* comm. 3. ægr. 4. t. 75. subinnuere voluit, quando pernitiosissimam *Phrenitidem* fieri dicit ex materia lethale quasi venenum spirante. Non hîc prætergredienda illa *Autorum* sententia, dicentium: *Humores nonnunquàm transmittuntur, nonnunquàm attrahuntur;* sed sanè non aliter in hoc Affectu attrahere videtur *Cerebrum*, quàm dùm dicitur ita dispositum, ut promptè & facilè recipiat, & vias largiatur inflammationi, accensioni & motui spirituum; quale autem Cerebrum magis sit dispositum, supra jam dictum.

CAPUT V.

Causas remotiores indagat.

HAs inter causas considerandæ statim veniunt *RES NATURALES*, in quibus occurrit *Temperamentum;* nullum autem ad hoc malum cudendum aptius est, quàm *Cholericum* seu calido-siccum, quando nempè particulæ sulphureæ, aliis etiam salinæ, sunt intensæ & quantitate & qualitate, serosæ verò & blandæ roscidæ deficiunt. Cùm etiam Temperamenta ratione *Sexûs* differant, *Mares* certè præ *Fœminis* ceu calidiores, quod ex actionibus, robore, laboribus & corporis habitu evidentissimum, magis ad hoc malum proni pronunciandi. Quale *Temperamentum* ratione *ætatis* majorem hîc vim exerat, maxima adhuc lis inter *Autores* movetur. Sunt quippè, Autoritate *Hippocratis* sect. 1. aph. 14. contenti, qui *pueros adolescentibus* & *juvenibus* calidiores &

per consequentiam magis ad Phrenitidem aptos proclamant, quos etiam *Galenus* tùm l. 2. de *Temperament.* c. 2. tùm alibi, *Mercatus* & alii plurimi sequuntur; Contrarium tamen tàm rationibus quàm experimentis firmatum defendere placet; quò magis enim serum deficit, eò tùm caliditas, tùm siccitas magis augetur; hinc ætas hæc Juvenilis maximè corripitur febribus, & *videas plurimos febre maligna morientes non tàm senes vel viros, quàm juvenes & primo quasi gradu virilitatem ingressos, quos robustissimos putes, Clariss. Wedelius in Physiol. Med.* Sect. 2. c. 13. Effectus caloris, robur nimirum corporis, coctio, affectusque calidiores hanc ætatem affligentes idem haud obscurè confirmant. Non tamen penitus excludenda hîc ætas consistens & virilis, in qua scilicet calor auctus cum siccitate dominatur, undè ætas hæc, docente *Mœbio in Physiol. Med.* c. 7. §. 44. calida & sicca audit. Considerandus quoque *habitus corporis*, nec *seminia* per *hæreditatem* sese communicantia, excludenda. *Astra, Sol* & *Luna* præprimis, quin modo mox dicendo huc conferant, nullum dubium. *RES NONNATURALES* quomodo hîc peccare queant, nemini non notum est: *Aër* scilicet, qui primas tenet vices, qualitate calidus corpus nostrum calefacit, humores dissolvit, liquat, attenuat, bilem auget & acuit, Spiritus inflammat; Siccus corpus exsiccat, densat, & cum caliditate junctus humores adurit, & hinc conjunctim sumpti morbos calidos, qualis etiam noster Affectus, excitant. Conjungenda hîc *æstas* calida & sicca, jungendi *venti*, qualis præprimis *Auster*, qui medium amat solem; quid *Regiones?* quid *Loca?* clarum est. *Cibus* & *Potus* suum etiam conferunt symbolum; Cibi nimirùm & actu & potentia calidi, dulces, aromatisati largius sumpti, & quòd de cibo dictum, idem valet de potu, de *vino* præprimis, cujus in *sanguinis* effluviis excitandis efficaciam vid. apud *Forest.* l. 13. obs. 12. *Timæum* l. 2. *cas.* 15. p. 103. & partium Sulphureo-Salinarum miram copiam tàm in libris quàm furnis Chymicorum; nec minus de *Medicamentis* virtute nimis calida & volatili pollentibus, ut & econtra de *repellentibus, refrigerantibus*, singulis minus debitè usurpatis. *Motus* imprimis multùm contribuere potest, qui varius cùm sit, variè etiam ansam præbet. *Vigiliæ* nimiæ dùm sunt causa morborum cali-

calidorum & ſiccorum, quatenus nempè Spiritus continuò agitantur, & humores æſtum concipiunt, quid in noſtro affectu valeant, luculentiſſimè patet. *Animi pathemata* quatenus variè commovent & turbant ſpiritus ac humores, in morbis gignendis, iisque calidis, non minimam obtinent vim. *Ira*, docente *Galeno* 1. de *cognoſc. affect.* Spiritus in corde & arteriis inflammat, ſanguinem in venis concitat, humores exagitat, & ita morborum calidorum cauſa evadit. Ex *ira Phrenitim* v. in *Act. Hafn. vol. 2. O. 95.* *Triſtitia* & *Mœror* in noſtro Affectu quid poſſint, *Cuſpinianus* docet; narrat enim *Juſtinum Minorem* uſque adeò gravi ex clade ap. *Perſas* accepta, mœrore correptum, ut rationem & judicium prorſus amiſerit, demensque tandem in lethalem Phreneſin inciderit. *Evacuationes* ſuppreſſæ ſanguinis & ſpirituum agitationem an excitare poſſint, nullum remanet dubium. Nimius *Veneris* uſus hîc etiam non negligendus, ſic *Heinricus ab Heer obſ. 9.* delirii à nimia Venere in ſexagenario Mercatore, ancillam ſuam juvenem uxorem ducente, meminit. *PRÆTERNATURALES* inter cauſas occurrit intemperies Cerebri calida & ſicca, à *febribus* ardentibus & malignis introducta. *Menſtrua* & *Hæmorrhoides* retentæ; *Hæmoptyſis*; à *Lochiis* retentis hunc Affectum vidit *Zacutus lib. 1.* de *med. Princip. Hiſt. obſ. 5.* *Scabies* remediis externis improvidè curata modò *Epilepſiam, febres*, modò *Phrenitim* ipſam, teſte Experientia, producit; ut & minus debitè tractatæ *aurium* & *oculorum inflammationes*; *Angina*; *Peripnevmonia*, *Pleuritis* per metaptoſin, teſte Hippocrate, ſuſcitabulum eſſe poteſt, *Sect. 7. aph. 12.* nec raró affectus *pleuritidis* inſtar invadens in progreſſu in *Phrenitidem* degenerat. A *verme*, qui piam & duram matrem perfoderat, Phrenitidem originem duxiſſe, habet *Paracelſus* lib. 2. *Paramyr.* §. 2. *Abſceſſus* cujusdam ſub *calvaria* meminit *Bonetus* in *ſepulchret. lib. 1. ſect. 7. obſ. 10.* Ab *aqua cœrulea*, quâ ventriculi erant pleni, Phreneticum quendam mortuum vidit *Neretus Neretius, Medicus Florentinus.* Ab *aqueo* & *pituitoſo humore* in pluribus cerebri partibus, absque ulla cerebri & membranarum inflammatione Phrenitidem obortam fuiſſe, teſtatur *Volch. Coiter lib. obſ. anatom.* *Polypi*, à *Blaſio* & *Coitero* in meningis ſinubus inventi, ſanguinis motum nonnihil, ſed non plenè impediendo,

 ſiſtendo,

ſiſtendo, inflammationi, accenſioni ſpirituum, occaſionem fortè dare poterunt. *Læſiones* quoque *Capitis*, ab *ictu*, *contuſione*, leves ſæpè in initio viſas delirium haud raro inter alia periculoſa ſymptomata ſubſequitur.

CAPUT VI.

Differentias ſiſtit.

DIfferentias explicaturo ratione *Subjecti* quædam occurrunt; *modò* enim ſolum Cerebrum quoad ſuam ſubſtantiam inflammationem, quod tamen rarius accidit, patitur, *modò* membranæ ejusdem ſeu tunicæ Subjectum ſunt, non enim hîc requiritur, ut Cerebrum ſimul cum membranis ſit affectum, licet id facilè ob nimiam vicinitatem contingat: Nec, ut duæ ſimul membranæ ſint inflammatæ, ad minimum tamen una præ altera majorem in modum læſa ſit, neceſſe eſſe puto. Cùm etiam in capite tertio *de cauſa immediata* dictum, quod ſæpius Phrenitis in quibusdam febribus à ſola ſpirituum animalium accenſione oriatur, hinc differentia à Subjecto ſumpta in ipſum nervoſum genus etiam cadit. Et licet in diaphragmate aliisque cùm medii, tùm infimi ventris partibus ſpiritus ita accendi, ut delirium exindè oriatur, poſſint, differentiæ tamen illæ, cùm cauſa, gradu, ſymptomatibus differre ſoleant, huc non pertinent. Reſpectu *Cauſarum alia* à cauſa externa, *alia* ab interna, *alia* à ſanguine, à bile *alia*, *alia* à pituita, à melancholia *alia*; atque hoc non impropriè, *namque ſpiritus animales juxta varias ipſorum indoles, diverſimodè ab hoc morbo excandeſcere ſolent*, ut loquitur *Williſius loc. cit.* Differentiam alii addunt, dùm vel à *mercuriali liquore meteoriſato*, vel à *tartaro in lixivioſis ſalibus* Phrenitidis cauſam deducunt. Ratione *magnitudinis* Phreneſis intenſa *alia*, *alia* mediocris, ſingulæ pro *deliriorum varietate* in quovis individuo mirè variantes, nempè juxta quod ſpiritus animales plus aut minus inflamantur, confunduntur, atque incendii ſui pabulum à ſanguine continenter, vel per vices accipiunt. Cœterùm hic morbus, quoad febrin, cui appenditur, naturam & morem *malignus* modò, modò

ma-

malignitatis expers est. Simplex etiam *alia, alia* cum aliis symptomatibus, *Comate* & *Lethargo* complicata reperitur. Tandem *alia* in principio magis, magis *alia* in augmento, in statu magis *alia, alia* magis in declinatione vim suam atque efficaciam exponit. *Hecticæ* quoque *Phrenitidis* mentionem faciunt *Quidam*, Cerebrum ibi lanæ instar tinctæ humorem imbibisse, ægrumque non cum furore nec semper manifestè delirare, sed dormire quasi tradentes: scilicet vel *narcoticarum partium* quid hîc concurrit, *vel Spirituum* adest inopia, non sufficiens manifesto furori, aut *attenta* nimis objecti cujusdam, ponderosi ægris visi, & assidua *contemplatio.*

CAPUT VII.

Diagnoseos Examen instituit.

CUm morbi non cogniti nulla sit curatio, adeoque ea, quæ ad accuratiorem Affectûs hujus Diagnosin pertinent, paucis apponamus. Opem autem aliquam ægro ferre si velimus, non solùm *præsentis* sed & *imminentis* Phrenitidis *signa* nobis exploranda sunt. Hanc itaque tempestatem imminere, quædam signa evidenter indicant: Cùm quis immodicis *vigiliis* præter consuetudinem infestatur, molestis *somniis* horrendis perturbatur, variis *imaginibus* vexatur. *Tristitia* quoque in iis, qui alacres esse solent, & *ira* præceps in mansuetis & in iis, qui leni animo graves etiam injurias pertulerunt. Quidam dormientes vociferantur, alii è lecto exsiliunt, incipiunt delirare, *etsi delirium non sit continuum*, sed præcipuè circa accessiones & acerbationes urgeat, in *facie* & *oculis* præprimis apparet rubedo, in *auribus* percipitur sibilus, sonitus, strepitus, tinnitus, res *visui* oblatæ videntur geminæ, *lachrymæ* ex oculis erumpunt, oculi inordinatè moventur, ægri variè se jactant, & movent, eorum, quæ dicuntur, obliviscuntur, respondent cum *iracundia*. Præsentis verò Phrenitidis signa non ita cognitu, ut imminentis, sunt difficilia, *continuum* scilicet *adest delirium*, *continua febris*, *pertinaces vigiliæ*, *oculi* evadunt squalidi, *venæ* ipsorum sanguine plenæ videntur, ante *oculos muscas*

volitare putant, quos manibus capere aut à ſe depellere tentant, incipiunt *floccos* à veſtimentis avellere, & *feſtucas* carpunt, aliqui dicunt ſe ſanos eſſe, & ideò veſtimenta petunt, ut ſurgant, furoris tamen vitia habent, nugantur ſæpius & iraſcuntur, plus ſolito & indecenter loquuntur, audacter reſpondent, qui aliâs timidi ſunt & mites, inſenſiles ſæpè efficiuntur, *cibum* omnem averſantur, modò rident & *Democritum* agunt, viciſſim ut *Heraclitus*, plorant, ſanguis è naribus ſtillat, quo tempore nihil reſpondent. *Pulſus* modò durus, exiguus, celer; *Reſpiratio* rara & magna; *Urinæ* albæ & perſpicuæ, non tamen ſemper, bile, particulis ſcilicet ſulphureo-ſalinis in renibus non ſecretis, ad caput quoque delata. At ubi dolorem incipiunt oblivíſci, ita ut ſymptoma ex ſymptomate naſcatur, & ſignum ex ſigno, non conqueruntur *de ſiti*, neque *potum*, neque quippiam aliud expoſtulant, quod ſi forte fortuna aliquando petierunt, rurſus monitore egent. Sæpius *inverecundi* ægri jacent, & pudenda oſtendunt. Hæc & ſimilia exquiſitæ certè *Phrenitidis* ſigna ſunt, quæ ab aliis quoq; Affectibus eam manifeſtè diſtinguunt.

CAPUT VIII.

Prognoſin tradit.

PRognoſeos examen ſi inſtituimus, Affectum hunc è numero *acutiſſimorum* & *periculoſiſſimorum* eſſe, ſtatim offendimus, quod & communi ſuffragio obſignat *Trallianus* l. 1. c. 13. Eventus autem ex morbi magnitudine & *virium robore* æſtimandus eſt; Si enim vires ſint languidæ, ut neque ſolæ, neque Artis præſidiis adjutæ morbo ſuſtinendo & vincendo pares ſint, *morbus* verò ſit vehemens, id quod hîc non ſolùm ob præſtantiam *partis* accidit, ſed etiam à *ſymptomatum* vehementia, *convulſione* nervoſarum partium, *aphonia*, *voce clangoſa*, *urinæ* & *fæcum involuntaria* & *inſcia dejectione*, &c. colligitur, morbus lethalis cenſetur. Prognoſis ergò in hoc morbo ſemper dubia & cum mali eventus ſuſpicione inſtituenda eſt. Si *corpori* ſano, εὐσάρκῳ, *temperamento* ſanguineo, ac in *ætate juvenili* contigerit, ſalutis ſpes major eſt, quàm ſi ægrotans *annoſior*, *macilentus*, *allioſus* & *paſſionibus violentis*

ob-

obnoxius fuerit. Si *febris* crisin laudabilem per *sudorem* aut *urinam* copiosam habens, integrè solvatur, plerumque etiam *Phrenitis* prorsus cessabit; Sin *febris* minimè judicata materiem usque morbificam τῷ ἐγκεφάλῳ ingerat, si præter functiones *animales* depravatas, *vitales* fatiscere incipiant, (quod & *pulsu* & respiratione in pejus alteratis liquebit) si urina sit pallida, aquosa, & dejectiones albicantes, quæ *Galenus* pernitiosa signa vocat, si crebra sanguinis è naribus *stillicidia*, si *vomitus*, si *stridor dentium*, si *convulsiones* eveniant, mortem in propinquo esse Medicus concludat, necesse est. Inter signa hæc lethalia *Arculanus rixam* refert, *quibus enim*, inquit, *rixa fortis est, inquietudo continua, ut in parietes saltent, in Phrenitide vera, mortale est.* Hujusmodi quoque sunt frequentes permutationes, aut, ut *Benedictus Faventinus* loquitur, migrationes ex pravis accidentibus ad magis prava, quæ *fiunt ob offensas in sensibilibus præsentationibus*, ut ait *Galenus* 27. Comm. sic *delirans floccos* evellit, quod offendiculum est sensus videndi: deindè migrat in aliud symptoma ejusdem sensus, ut *muscas* frustrà venetur. Ad salutem terminatur *hæmorrhagia narium*, *resolutione*, *suppuratione*, quod tamen valdè periculosum, superveniente etiam *peripnevmonia*, *Phthisi*, *Surditate*, & *Gibbositate* 7. *Epid.* n. 80. apud *Foësium*, *melancholia*, *fatuitate*; Illa etiam Phrenitis nobis spem præbet, quæ continuum *risum* habet admixtum, magis verò, si ipsam Phrenitidem *fluxus hæmorrhoidalis* subsequatur, ut loqui amat *Forestus* in Schol. obs. 3. lib. 10. Ad *mortem* terminari Phrenitidem, prava hactenus enarrata symptomata & affectus, in quos degenerat, satis manifestant. Ita, si in *Lethargum* transeat, malum, quoniam lethargus ob majorem adhuc spiritibus eorumque viis inductam labem inexpugnabilis solet esse, qualia exempla eaque tristia recenset *Christoph.* à *Veiga* l. 3. c. 6. art. medend. In *sphacelum*, ut multi volunt, si fit transmutatio, spes vitæ claudicat, tales enim sphacelismo correpti, ut 7. aph. 50. Hipp. loquitur, tribus diebus pereunt.

CA-

CAPUT IX.

Methodum Medendi præſcribit.

UT igitur, præmiſſis præmittendis, ea quæ pro cura hujus Affectus ſpectant, ſubjungamus, ſupereſt hîc labor, ut erutis *indicationibus*, auxilia inveniendo, inventa præſcribendo, præſcripta debito modo adminiſtrando occupemur, genuina *methodo medendi* fulti. Et licet plerique apud *Hippocratem* 1. Epid. 6. & 2. 73. ac juxta *Galenum* 1. prorrh. 8. propter continuum delirium & perpetuas vigilias, moriebantur, non tamen ægri, monente *Rondeletio*, penitus ſunt relinquendi, aut remedia illis deneganda, cùm hic morbus non planè curatu impoſſibilis ſit, ita ut jam olim *Alexander Trallianus* plurimos ſe ſanâſſe, gloriatus fuerit. Cùm ergò in *delirio continuo* & *febri acuta* noſter Affectus conſiſtat, hæcque primùm curam ex neceſſitate ad ſeſe trahant, ſtatim ſiſtenda vel auferenda: *Intemperies calida* & *ſicca* cùm cerebri ceu partis primariò affectæ aliarumque partium tùm totius etiam maſſæ ſanguineæ alteranda, temperanda. Quod ut obtineatur *ſpirituum animalium accenſorum ſtatus mutandus, accenſio mitiganda, ſedanda, debellanda*; furioſus eorundem ſpirituum per cerebrum motus *coercendus, deprimendus, reſtinguendus*, in ordinem *reducendus*, *ideæ delendæ*, cerebri ejusque membranarum *inflammatio* imminens *præcavenda*, ſi adſit, *compeſcenda, reſolvenda, diſcutienda*, omnia cauſis his fomitem ſubminiſtrantia *removenda, corrigenda*. *Virium* inſimul tàm *amiſſarum* reſtauratio, quàm adhuc *præſentium* conſervatio curæ ſit. Nimiæ *vigiliæ*, huic affectui aſſuetæ, cùm primas ferè hîc vices teneant, & vires maximoperè conſumant, cauſæ vices induant, quocunque modô *abigendæ*, occultum econtra vitæ pabulum ſomnus *alliciendus*. Hæc aliaque aſſequi dum tentamus, *gazophylacium Chirurgicum, Pharmaceuticum* & *Diæteticum*, ſufficientia ad Hoſtem hunc depellendum monſtrabit remedia.

CAPUT X.

Fontem *Chirurgicum* aperit.

OMnium primò plurimorum morborum ſalutare auxilium, ut *Harvæus* in exerc. 51. loqui amat, vel *Remedium*, ſecundum *Galenum*, 2. aph. comm. 9. *Magnum*, *Venæſectio* nimirum venit indagandum. In hoc præſidium *Græci* omnes præter *Aſclepiadem*, cujus ſententiam *Celſus* improbat, conſentiunt. *Arculanus* unicum tantùm caſum occurrere ait, ubi venæſectio non locum habeat, quando ſcilicet Phrenitis dependet à ſola bile, nullo ſanguini permixta, ſed *Sennertus Med. Pract. lib. 1. part.* 2. cap. 8. ſufficienter ei reſpondet. Certum eſt, ut deciſionem quandam ponamus, quod V. S. egregium in plerisque Phrenitidis ſpeciebus ſit remedium, ſed in *principio* adminiſtrata, nihil enim æquè ac V. S. ſanguinis flammam immodicam deprimit ac diminuit, nihilque incendium ejus à regimine animali magis avertit aut revocat, verba ſunt *Clariſſ. Williſii; inflammationi* quoque conveniens, dùm ſanguis, qui cum impetu affluere poterat, educitur, portio *ſtimuli moventis* demitur, & ſæpè extravaſati nonnihil reſorbetur. Dantur tamen caſus, ubi nempè nimia adeſt *malignitas*, nulla verò *plethora*, *vires dejectæ*, *reſolutæ*, in quibus vena non ſecanda. Niſi hæc quoque contraindicent, repetenda V. S. etiamſi *febris* gratiâ prius inſtituta fuerit, ſi furor nimius urgeat. Quæ autem incidenda, lis adhuc, præſertim inter *veteres*, movetur. Sed quid ad nos venarum ſelectus, quem *Circulus ſanguinis* planè deridet? Quævis enim vena ſanguinem evacuare, quævis impetum coërcere novit, ita ſanè, ut in omni morbo pari quamlibet ſucceſſu ſecari, nonnulli ſuadeant. Pro *vena ſub lingua*, quam nonnulli ſecant, quæ ob delirium & furorem nec commodè ſecari, necque commodè conſolidari poteſt, eligerem ego venam *brachii*, *manus* aut *frontis*. Quando ergò V. S. locum habet, prudenter obſervandum, ne æger jactatione immodica ſcalpelli ictum eludat, vel effrænato impetu ſibimetipſi noceat. Venæſectione autem feliciter peracta, venaque ligata, linimentum ex *aloë*, *pilis leporinis* &

 ovi

ovi albumine factum laudat *Timæus à Guldenklee* lib. 1. caſ. 6. *Arteriotomia* ſecundum quosdam, eandem licet veteres penitus ferè rejecerint, & Recentiores Quidam etiamnum rejiciant, in noſtro affectu applicanda, ſic in Phrenitide *arteriotomiam* in temporali inſtituendam laudat *Severinus*, *Panarolus Pentecoſt.* 1. obſ. 29. *Rolfinckius* l. 2. conſult. 4. Teſte Excell. D. D. *Mezgero*, Profeſſ. hujus Academiæ Celeberrimo, in *diſp. de Arteriotom. theſ. 16. p. 11.* non tantum enim hîc periculum metuendum, ſiquidem Ægyptii, teſte *Proſper. Alpino lib.* de *med. Ægyptiorum* æquè familiariter arterias ſecant ac venas, licet peculiarem ſecandi modum poſſideant. *Cucurbitulæ* ſcarificatæ ceu V. S. vicariæ hîc non contemnendæ, laudem etiam merentur interdum *hirudines*, apud nos tamen minus uſurpari ſolitæ, præprimis autem conveniunt ex hoc Fonte *veſicatoria*, & propter delirium & propter febrem conducentia, tùm *Empl. veſicatorium*, tùm *Cantharidum* pulvis cum propria *ſaliva*, ut *Joh. Muys* placet in *Chir. Rat.* præ acidis, ſal volatile cantharidum enervantibus; Quid *Trepaniſatio*, quid *Chirurgia Infuſoria* in Phrenitide valeant, experientia nondum edocuit. *Melius eſt*, inquit, *Ettmüllerus diſp.* d. *Chirurg. inf. concluſ. VII. In febb. acutis cum inflammationibus itemq; malignis infuſionem experiri, quàm ægrum ceu deploratum relinquere.*

CAPUT XI.

Fontem *Pharmaceuticum* libat.

ANte omnia ea ſtatim movenda venit quæſtio, an *purgantia* in Phrenitide adhibenda, nec ne? *Multi* quidem, quod ſæpius in magnis morbis non modò venæſectione, verùm etiam purgatione, revulſionis gratia, utendum ſit, etiam nulla humorum plenitudine exiſtente, aut vitioſi ſucci abundantia, affirmativam tuentur. Verùm *cùm in noſtro affectu adſit febris continua*, rarò imò fortè nunquàm absque *malignitate*, cum *inflammatione* potiſſimùm cerebri aut alius internæ cujusdam partis, in talibus autem febribus, quia agitatio vehementiſſima, cruditas ſingularis, quæ ſeparationem heterogeneorum non admittit, vires dejectæ &

diar-

diarrhææ in principio talium febrium funestæ tantùm soleant esse, fermentum febrile in tenui volatilitate, non magna crassorum humorum quantitate consistat, purgantia dare non solet, ipsa etiam experientia edoctus, *Excell. Dn.* Præses, ut in *Colleg. priv. pract.* loquitur. Majoris usus esse possunt *Suppositoria*, quæ strenuè revellunt, *ex mell. s.* vel *anthosato, hiera picra* & *sale communi* &c. parata. *Enemata* hîc non planè rejicerem, eaque leniora & mitiora ex *malv. alth. violar. parietar. aneth. mercurial. lactuc. vitell. ovor. aliisque composita*, aut v. g.

℞. *lact. vaccin.* ℔ß.
ol. chamomill. ruth. viol. aa. ℥ß.
Mell. anthosat. ℥vj.
Sal. comm. vel *Nitr.* parum,
M. f. clyster.

Vomitoria, cùm rarò causa morbifica in ventriculo aut primis viis hæreat, vix imò vix quidem locum hîc quendam habent, si quæ tamen, versus *superiora* tendens, adesset, quod in *castris*, in *annonæ caritate* fieri aliquando solet, vomitus in principio ciendus *Mercurio vitæ*, olim frequentioris usus, Aq. Bened. Ruland. oxysacch. Emet. & simil. e. g.

℞. *Tartar. Emet. Lud.* gr. iij.
Sacch. cand. ℈j.
M. f. pulv.

Diaphoretica, quæ è toto corpore per glandularum subcutanearum *ductus papillares* vel sudoris specie, vel insensibili transpiratione facta, vel utroque simul modo fuligines & humores varios attenuatos educendo, æstum simul restinguunt, & furorem coërcent, primas hîc tenent, licet enim Phrenetici vix in lecto cohiberi queant, quousque tamen possibile, tentandum. Juvant hîc *sal card. bened. absynth. CC. volat.* (in specialibus circa volatilia magna Medici prudentia opus est) *antim. diaphoret. Tinct. Bezoard. Mich. Extract. Bezoard. Excell. Dn. Præs. pulv. pannon. r. spir. CC. CC. phil. calc. Unicorn. utrumque, Bezoard. mineral. mixtur. simpl.* ex his aliisque ab Autoribus hinc indè laudatis variæ parari possunt formulæ, v. g.

℞. *Extract. bezoard.* Exc. Dn. Præs. gr. iv. v. viij.
f. pil. deaur. d.

℞. *Pulv. pannon. r.* ℈ij.
antim. diaphor. ℈j.
Sal. card. bened. ℈ß.
M. f. pulv. div. in 2. part. æq. d.
℞. Aq. *Card. bened. ſcorzon. aa.* ℥ß.
Syr. ſcabioſ. ℥iij.
M. d. ſ. Waſſer zum Pulver.

Diuretica nec hîc prætergredienda, præſertim ubi natura ad vias urinarias expulſione cauſæ morbificæ tendere videtur, quæ vel præcipitando, imbibendo, infringendo, acrimoniam mitigando, ut *Cryſtall. oc. 69. lap. Judaicus, putam. ovor.* vel attenuando, rarefaciendo, reſolvendo, deobſtruendo, incidendo, aperiendo aliisque modis in noſtro affectu agere poſſunt, qualia *ſal juniper. ononyd. ſuccin. volat. Tinct. Tartar. petroſel. naſt. aq. rad. 5. aperient. ononyd.* & varia alia, tempeſtivè data. Cùmque ſæpius contingat, ut *Urina* in hoc affectu vel ſpontè ſubſiſtat, ſive, quod credibilius, quod ægri eam reddere negligant, itaque tunc ægri ad urinam reddendam ſæpius incitandi ſunt, vel pubes & perinæum emollientibus fovendum, ut *ol. amygd. d. Scorpion.* (hoc tamen aliquibus non placet, cùm nimis exſiccet & ſpaſmum inferat) *ung. alth.* &c. Decoctum hîc laudatur ex fol. *parietar. alth. lil. alb. cherefol.* cum *ol. ſcorpion. amygd. d.* &c. Vel ſi opus ſit, *inſtrumentorum* ope educatur.

Alterantia jam occurrunt, inter hæc adhibeantur talia, quæ *refrigerant* ſulphureas, ſalinas, ferventes ſanguinis particulas mitigant, reſtinguunt, ſpirituum ferociam coërcent, omnia autem quæ ſimul *alexipharmaca* ſive *tranſpirationem promoventia* ſunt, ut *refrigerantia, diluentia, mucilaginoſa, abſorbentia, imbibentia, infringentia*, e. g. *acetoſ.* & alia ex regno minerali & vegetabili deſumpta *acida*, ut *mal. citr. ceraſa acida*, Nitrum Quibusdam valdè commendatum, & cujusvis *hypotheſi* facilè applicandum, *fumar. lact. nymph. Tinct. roſar. emulſ. ex 4. ſem. frig., papav. Card. bened. Unicorn. CC. & alc. Ebur. pulv. pannon. r. antimon. diaph. Terr. ſigill.* & *ſpir.* ejus ex commendatione *Grulingii* in omnibus rabioſis affectibus laudatiſſimus, ut

℞. CC.

℞. *CC. phil. calc.*
Unicorn. ver.
fossil.
Corn. Rhinocer.
oc. 69.
Terr. sigill. aa. ℈j.
M. f. pulv.

℞. *Conf. rad. Cich. violar.*
acetosell. aa ℥j.
Carn. citr. cond.
Lact. Hisp. cond. aa ℥ß.
Spec. diamarg. frig. ʒj.
Syr. acetos. citr. q. s.
M. f. Elect.

Quoniam autem Phrenetici aut *siti* inexhausta premuntur, aut lingua subarida & nigricante non sitiunt, cùm tamen urantur, quædam vel non poscente ægro, offerenda, quæ sitim æstumque minuant; potus ordinarius sit sequens, quo largè uti poterit:

℞. *Rad. Scorzon.*
Passul. maj. min. aa ℥j.
visc. quern. ʒij.
sem. fœnic. anis. aa ʒß.
CC. ust. ʒvj.
Concis. & contus. misc. d. ad chart. s.
species pro potu ord.

Vigiliis etiam, quæ sæpè cum furore subitò & nimiùm invadente valdè urgent, jamjam prospiciendum, fortiora tamen *hypnotica* non semper ab initio conveniunt, nec crebro in usu sint, ne debilitatis viribus ægrum in periculosum dejiciamus *Veternum*. Emulsiones hîc laudem merentur, ut

℞. *Sem. 4. frig. maj.* a ʒß.
papav. alb. ʒij.
f. c. *aq. papav. err.*
nymph.
rosar. aa. ℥j. Emulsio,
Edulcetur *syr. papav. simpl.* q. s.
M. d. s. Schlaff-Milch.

 Cui,

Cui, si opus sit, nonnihil *laud. opiat.* addi potest, aut ex laud. gr. j. *Extract. papav. err.* vel *Bezoard. Excell. Dn. Præs.* gr. iij. *pilulæ* formari, quo modo non furor solùm sedabitur, sed & transpiratio summè hîc necessaria juvabitur. Laudem quoque suam hîc meretur *Tinct. opii Langelotti*, & Legitima, si quis ea possidet, *Mineralium sulphura*.

Epithemata variis locis applicata prosunt, sic *sedum majus* contusum, cum lacte mulìebri mixtum, & syncipiti raso applicatum, mirè laudatur. *Oxyrrhodina* quoque, *Ungt. Alabastrinum, popul. & Animalia viva* discerpta. Lis autem adhuc est, præsertim verò maximè jam olim inter Veteres agitata, an *rasio* in Phrenitide locum habeat? *Asclepiades* radi noluit, nec etiam tonderi, quia videlicet raso capillo aut detonso, copiosior materia in caput attollitur, undè capilli fruticant magis & seges detonsa uberius provenit, itaque cùm oporteat materiam à capite revelli, non in caput attrahi, non erunt radendi aut tondendi; sed an hæ rationes pro negativa sententia adductæ sufficiant, dubito. *Sacculus* ex *Syndone* cum speciebus *cardiacis* interpassatim cum bombyce insutus atque *aq. destill.* vel *acet. rosar.* irrigatus, præcordiis applicatus maximè laudatur. Lintea *aceto rosaceo* madida imponuntur *testibus*. *Pedes* decocto *foliorum salicis, lactucæ, capitum papaveris albi* balneantur, aut *lixivio mitigatorio* à *Rolfinckio* commendato humectantur, aut etiam acria, *fermentum* cum sinapi & hujusmodi iis imponuntur. Cura illa à *Willisio* præscripta & in *Ancilla* quadam, *fluvio profundo immersa*, feliciter peracta in omnibus Phreneticis locum non invenit. Hîc interim, quod ea, quæ externè variis partibus applicantur, non *frigidè*, aut nive vel puteo, quod *Avicenna* vult, refrigerata, sed *tepidè* vel *calidè* applicanda sint, monendum venit.

Viribus consulimus non solùm externis, sed & internis *roborantibus*, quæ tamen semper ad causam morbificam directa sint, hocque nomen merentur supra adducta, variè inter sese miscenda, & eò quoque referenda *aq. 4. cordial. cordial. frigid. Excell. Dn. Præsid. Syr. granator. Conf. alkermes &c.*

CA-

CAPUT XII.

Fontem *Diæteticum* exponit.

A*Eris* constitutio qualis hîc conveniat, omnium primò perpendendum venit; omnes ferè in neque nimis humidum, neque crassum, & frigidum, aut nimis calidum consentiunt, ne capiti meatuum densatio aut repletio superveniat, sed existat, docente *Foresto, temperatus*. Et sanè pro delirii ratione modò hic modò ille magis nocet, hicque modò, modò ille magis prodest; ubi autem *febris maligna* adest, prohibeat Medicus, quantum licet, quæsitum *aëris refrigerium* per jactationem membrorum, *Turbam hominum* à cubiculo ob varias causas exesse jubeat: *Cubilia* à *picturis* sint libera, cùm ejusmodi colorum varietas occasionem præbeat ægris multa falsa imaginandi, circa quæ potissimùm plurimùm solent laborare, qua ratione & deliria augentur; hinc *veteres Medici*, ne *vestes* quidem *vario colore distinctas* propè ægrum versari volebant, aut tegumentis variegatis cooperiri. *Præstat*, inquit *Forestus, ut cubiculum potius sit dealbatum aut viride, quàm alius cujusdam coloris*. Convenit inter medicandum etiam *victus rationi*, ut maximè necessariæ, animum adhibere. Cibus autem sit refrigerans, & humectans; *Hordei cremor* hîc conducit, & *juscula carnium bubularum, gallinarum, caponum, nostratibus familiaria*, non tamen nimia, sive continua, sive discreta quantitate. *Guainerius* vitulinas laudat carnes & gallorum non coeuntium, *la ctuca, portulaca, acetosa*, aliis quoque si præprimis *ægri palato* simul & *morbo* conveniant, *herbis, floribus*, aliisque medicamentis alteratas. Quod *potum* attinet & præprimis vinum, multi illud Phreneticis concedunt, non desunt tamen, qui id prohibent. Verùm in Phrenitide inter *Nostros* reformidarem vinum, non tàm ob *acidum*, quàm potissimum *spirituosas, sulphureas, volatiles* particulas, decocta verò ex *Alexipharmacis, refrigerantibus, humectantibus*, in copia etiam assumpta eligerem pro potu ordinario. *Motum & Quietem* quod spectat, cuivis ferè sanum & proficuum videri potest, ut *Quies* inducatur, motus verò removeatur. *Paulus* Phreneticos

ticos jubet in quiete contineri, divites quidem per *famulos*, pauperes verò *vinculis constringendo*, iisque *blandissimis* & *latis*, ne lædantur. Imò rectè suadet & vult *Gradus*, ne ex lecto moveantur, cùm in Medicos suos & familiares, & alios sæpè irruant, & mirabilia faciant, quibus non est fidendum, etiamsi se benignos esse, fingant, probè quoque cavendum, ne *semet ipsos* lædant. Quid de *somno* & *vigiliis* hîc monendum sit, nemini non notum est. *Vigiliis* enim sic durantibus, vires paulatim deficiunt, deficientibus autem viribus, morbus magis magisque radices ponit. Somnus ergò, cùm id, quod caret alterna requie, durabile non sit, nostro affectu laborantibus necessarius est; Spiritus enim tumultuantes demulcet, corpus humectat, æstum in corpore mitigat, ipsum recreat animum, ita sanè ut in deliriis quibuscunque remedii loco sit, miraque dulcedine corpus demulcet, ut ideò à Quibusdam melle dulcior vocetur, hinc Naso:

Somne Quies rerum, placidissime somne DEORUM,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

Sed si ullibi *Animi pathemata* quid possunt, certè in nostro Affectu vim suam atque efficaciam monstrare norunt, quocunq; ergò modo illa, quæ nocent, removenda, quæ verò prosunt, promovenda veniunt. *Ira* igitur, *Timor*, *Mæstitia* & *Terror* quibusque mediis abigenda; *lætitia* verò & *gaudium* introducenda. Nonnunquam quoque ex solâ desiderii expletione Quosdam curatos fuisse referunt Historiæ. Demulcendus hîc animus mollibus *sermonibus* & tentandum iteratis vicibus. Sic instrumenta *Musica*, horribilem sonum non habentia, conducunt, at soni fortes, ut Tubarum, quibus Filius *Matthæi Gradi* incidit in Epilepsiam, maximè sunt detestandi. Ad locum, in quo decumbunt ægri, cùm *non multos*, *non ipsis contrarios* tolerare norint, non nisi grati, ingrediantur, monendum restat. *Alvus*, quod *Excreta* & *Retenta* tandem concernit, lubrica servanda, si restiterit, *Clysteribus* & *suppositoriis* sollicitanda. In *declinatione* aut si penitus debellata sit Phrenitis, *evacuatio per alvum* conducit.

DEO SIT LAUS, HONOR ET GLORIA.